

CERTIFICAZIONE LATINA 2025

LIVELLO B1

Test B1 – Seconda parte (traduzione)

Traduci la parte in corsivo

Svolgimento in 60 minuti

Summarium

Cicero, cum Romam de exilio rediisset, epistulam Attico absenti scripsit, non solum ut laetitiam et amici desiderium nuntiaret, sed etiam ut auxilium peteret.

Cicero Attico salutem dicit.

- 1 *Cum primum Romam veni fuitque cui recte ad te litteras darem, nihil prius faciendum mihi putavi*
- 2 *quam ut tibi absenti de reditu gratularer. Cognoveram enim, ut vere scribam, te in consiliis mihi*
- 3 *dandis nec fortiozem nec prudentiozem quam me ipsum nec etiam propter meam in te observantiam*
- 4 *nimum in custodia salutis meae diligentem; eundemque te, qui primis temporibus erroris nostri*
- 5 *aut potius furoris particeps et falsi timoris socius fuisses, acerbissime discidium nostrum tulisse*
- 6 *plurimumque operae, studi, diligentiae, laboris ad conficiendum redditum meum contulisse. Itaque*
- 7 *hoc tibi vere adfirmo, in maxima laetitia et exoptatissima gratulatione unum ad cumulandum*
- 8 *gaudium conspectum aut potius complexum mihi tuum defuisse. Quem semel nactus si umquam*
- 9 *dimisero ac nisi etiam praetermissos fructus tuae suavitatis praeteriti temporis omnis exegero,*
- 10 *profecto hac restitutione fortunae me ipse non satis dignum iudicabo. Nos adhuc in nostro statu*
- 11 *quod difficillime recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem et in senatu*
- 12 *auctoritatem et apud viros bonos gratiam, magis quam optaveramus consecuti sumus; in re autem*
- 13 *familiari, quae quem ad modum fracta, dissipata, direpta sit non ignoras, valde laboramus,*
- 14 *tuarumque non tam facultatum, quas nostras esse iudico, quam consiliorum ad colligendas et*
- 15 *constituendas reliquias nostras indigemus.*